



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. I. De materia & forma Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& Huc, d. 3. de sacram. diff. 8. concedentium hanc efficaciam soli Baptismo.

Secunda est Cui de penit. p. 5. eandem efficaciam concedentis Baptismo, & Penitentia.

Tertia, Covarruvias in cap. Alma Mater p. 1. §. 4. n. 25. omnibus, & solis Sacramentis imprimendis Characterem, id est Baptismo, Confirmationi, & Ordini, quæ reiterationi non valent.

Quarta Sylvestri V. Baptismus, prædictis tribus Characterem imprimendis, & item Penitentia.

Quinta Agidij Coninch. g. 62. de Sacram. art. 1. d. 5. n. 75. prædictis tribus Characterem imprimendis, & item Matrimonio, dum durat idem vinculum, & denique Extrema. Vnctionis, dum durat eadem infirmitas; nam, cum nec illa, nec Matrimonium, & Extrema Vnctio, tunc reiterationi possunt, indicantur inquit, perseverare, & suum effectum, sublato obice, producere.

Sexta Suarii d. 28. de Sacram. sect. 6. quem sequitur De Lugo d. 9. de Sacram. n. 100. omnibus Sacramentis, præter Eucharistiam.

Septima Leandri tr. 1. de Sacram. §. 9. 7. citantis S. Th. Cætanum, Sorum, Bonac. si omnibus Sacramentis, quare non etiam Eucharistia.

Octava aliquorum apud Filliuc. tr. 1. n. 143. nulli prorsus Sacramento.

Non Castropalaui tom. 6. tr. 18. disp. unic. p. 9. n. 5. & 6. omnibus quidem Sacramentis, sed Eucharistia, solum, dum factæ species non sunt consumptæ in stomacho recipientis, & Sacramento Penitentia, si quando hoc possit esse validum, & gratiam non producere.

Hæc Doctores. Ego Dico primo, non esse negandum hanc efficaciam inesse Sacramento Baptismi, tum quia id ferè omnes Doctores (exceptis paucis) docent, tum quia probabilius est id colligi ex S. Augustino, apud Castropalaui, sed latina apud De Lugo l. c. contra Valq. tum quia Baptismo, cuius est asserere novam hominis regenerationem, statimque vitæ immutabilem Christiano religionis, maxime decuit hanc prærogativam conferri.

Secundo Dico, cautè Castropalaui modo dixi. sed si quando Sacramentum Penitentia possit esse validum, & gratiam non producere) nam multi negant id

esse posse. Ratio est, inquit, quia in Sacramento Penitentia pro necessaria materia sunt actus penitentis, id est confessio, & dolor, quo dolore iam avertitur penitens à malo peccati, & tollit obicem: quare si tunc addatur forma, quæ est Absolutio, iam Sacramentum erit ita validum, ut trahat reconciliationem cum Deo, atque adeo informe esse non poterit. Tamen quia non est improbabile in aliquo casu posse esse etiam hoc Sacramentum validum, & informe, ideo laudo Castropalaui loquutum fuisse sub conditione, Si quando, &c. Casus autem saltem ille esset, quando quis confiteretur sua peccata cum dolore, ducto ex peculiari motivo, sufficiente solum illa peccata quæ confiteretur. Confiteretur quis v. g. peccata turpia cum dolore, ducto à motivo talis turpitudinis, sed obliviscitur inculpate alterius peccati diversi generis, v. g. Blasphemiam. In hoc enim casu videtur confessio esse valida, quia iam adsunt partes necessariæ Sacramenti penitentia, nempe Oris confessio, Cordis dolor, & absolutio: at quia non adest dolor se extendens ad blasphemiam, non poterit blasphemiam remitti, quia, ut supra diximus, non potest remitti peccatum, nisi avertaris ab illo. Et ex alia parte, nec remitti possunt peccata illa turpia, quamvis confessa, quia non potest remitti unum mortale, sine alio: & ita in hoc casu non dabitur gratia, & consequenter Sacramentum hoc erit validum, & informe. Verum has Theologicas speculationes in Scholis disputandas, relinquamus.

§. III. An liceat petere Sacramenta ab eo, qui peccato mortali, vel excommunicatione gravetur?

1. DE hac quaestione, vide quæ dixi l. 5. de Decal. c. 1. §. 4. n. 36. & in opusculis de comm. c. 5. §. 4.

§. IV. An liceat volenti suscipere Sacramentum indignè, illud ipsi ministrare.

Hæc difficultas agitur à Doctores sub illis terminis: an peccatori publico, vel occulto ministrari possit Eucharistia? Quam ego satis item explicui in Opusculis de comm. c. 6. §. 6.

Finis de Sacramentis in Genere.

DE BAPTISMO.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De Materia, & Forma Baptismi.

ΕΜΟΤΑ, est Aqua naturalis, seu elementaris, proxima, est Ablutio, Forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

§. I. De Materia remota.

Materia remota certo sufficiens ad valorem Baptismi.

1. Anè ad valorem sufficit Aqua maris, fluminis, fontis, stagni, putei, cisternæ, pluvie.

2. Ros item, & proina non concreta, Aqua quæ ex vasculis conflatur, qualis est, quæ in hyeme ex parietibus illa aqua plenis subicitur ignis.

3. Præterea Aqua, quæ habetur ex nive, glacie, grandine liquefactis, Aqua decurrens ex balneo, quamvis odor sulfurei, Aqua expressa ex luto.

4. Aqua denique quamvis calida, quamvis frigida, quamvis odorata, quamvis aliquantulo crassiore & paulo luto immista, dummodo Aqua sit, & ad abluendum apta. Ratio omnium horum est, quia omnes prædictæ sunt aquæ naturales. Aquam, quæ fluxit à latere Christi Domini naturalem fuisse, censuerunt Sancti Patres, quare ad Baptismum satis, superque fuisset.

Materia remota certo non sufficiens.

5. Contrà, omnes alii liquores, qui ab aqua specie differunt, qualis est vinum, lac, mel, oleum, aqua, quam vocamus ardentem, seu aquam vitis, urina, lachrymæ, saliva. Hanc dubiam vocat cum Coninch. Castropalaui. de Bapt. d. unic. puncti. 3. n. 2. sed immerito, est enim certo insufficiens, sudores, aquæ quæ stillant ex incisione vitis, ex cucumeribus, ex pèponibus, &c. insufficientes sunt, quia non sunt aquæ naturales, seu elementares.

6. Aqua item, ita alterata, vel alio corpore ita immista, ut aquæ denominationem, naturamque amiserit, huc reducitur, ejusmodi est lixivium forte, ius, seu brodium.

A 4

dium, saltem illud, quod est spissum, & valde carnibus, vel alia materia decoctum, aqua multo vino immixta, &c. Nix, gelu, glacies, lutum densum, ut sic, non sunt apta materia, quia non sunt apta ad abluendum.

7. Idem puto de succo herbarum, hoc est, de liquoribus, qui exprimitur ex herbis, vel radicibus, vel fructibus contulis, seu compressis, Aqua enim naturalis ea non est, sed rei contusae substantia.

Materia remota dubia ad Baptismum.

8. Aquae illae, quae ex vi ignis per stillicidia ex herbis, floribus, vel radicibus extrahitur, qualis est aqua rosea, & similes, incertum est, an sint apta baptismi materia, quia licet communis opinio ferat has non esse vere aquas, non nemo tamen aquam elementarem esse putat, ut Castrop. tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 5. n. 6. lege eundem de Baptismo modo citato.

9. Aqua extracta artificio quodam, cujus meminit Vecherus, lib. 3. de secretis naturae, cap. 4. ex Cardano, à vino, cui antea fuit admixta aqua, incerta mihi aqua est, quia non constat, an sit illa aqua, quae fuerat admixta, an partes puriores vini, quo nobis aquae apparent.

10. Brodium item non admodum spissum, seu coctum, vel aqua luto non admodum denso confusa, vel lixivium leve, id est non multis cineribus imbibitum, & similia erunt incerta materia, quando incertum est an servent naturalem speciem, vel usum communem aquae.

11. Aquam resolutam à sale concreto ex aqua falsa maris, dubia mihi materia baptismi est, quia nimis multum exhalationis terrae retinet, multo magis Sylvest. Angelus, Tabiena, Armilla, omnes, v. Baptismus, referunt resolutam ex sale montano, id est ex eo sale, quod in nostra Sicilia copiosum est, & à salis fodinis ad quotidianum usum lapidum instat, excluditur.

12. Scio Leander de Baptismo, d. 2. quæst. 4. & 7. & Bonacinum d. 2. de Baptismo, quæst. 2. p. 3. n. 4. putare, aquam resolutam à sale Maris esse aquam naturalem, sed id mihi non videtur ita certum, ut ex illius ablutione certum pronuncietur Baptismus.

13. Aqua existens in linteo, vel digito, nisi exprimat, dubium est, an sit apta materia, quia ut sic, non est certum, an sit apta ad lavandum, quamvis Leander de Baptismo, d. 2. q. 4. & 5. doceat tum glaciem, lutumque num. 6. dicta, tum prædictum linteum, digitumque apta esse, quia putat adhuc per illam quamvis non expressam, sed ut ita dicam expressam in corpus baptizandi, hominem denominari simpliciter ablutum, sed vide quæ dicam §. 3. num. 21. & 22.

§. II. De materia remota Baptismi quoad licitum usum.

1. Regula generalis est, debere servari consuetudinem Ecclesiae, ut licite conferatur Baptismus, atque adeo, seclusa necessitate, semper adhibendam esse aquam Sacri Fontis rite benedicti.

2. Quidam Parochus non multis abhinc annis, ob extraordinarium hyemis rigorem solemniter baptizavit infantem aqua calida communi, ne renellos infantis artus offenderet frigida Sacri Fontis, peccavitne is mortaliter.

Respondeo. Mortaliter peccasse videtur colligi ex Bonac. l. c. n. 7. & 8. cum aliis, quia à consuetudine Ecclesiae in re gravi discessit: sed non peccasse mortaliter fuisse probat Quintanadueñas, de Baptismo, sign. 22. quia nullum est, aut de hac re præceptum, quod si esset, sanè de re esset non substantiali, sed modica materia.

3. Quid si Parochus adhibuisset aquam Sacri Fontis, illam calefaciens. Respondeo, hanc vocare irreverentiam, saltem gravem, nequaquam audeo.

4. Dictum autem est, (solemniter baptizavit) nam quando propter necessitatem confertur Baptismus pri-

vatim, si facile benedicta aqua fontis haberi non potest, non benedicta sine vlla dubitatione, vi omnino potest & debet.

Illud item concedit dicta necessitas, ut possit certa haberi non possit, quod tamen cum consuetudine saltem mente concepta, faciendum erit in hunc finem, Si materia hac idonea est ad baptizandum, baptizo in nomine Patris, &c. Verum deinde, quia aqua certo naturalis habebitur, debet hic etiam ego te baptizo in nomine Patris, &c. Quod si materia, quæ baptizasti, materia omnino insufficienti, ut aqua, &c. tunc certe sine vlla conditione illum baptizare omnino debes.

§. III. De materia proxima Baptismi, quæ est de certo sufficiens.

1. Quia ablutio est contactus successivus corporis baptizati, ideo sufficiens certum est ablutio quæ fit per immersionem, vel per notabilem personem, vel per effusionem item notabilem corpus, ipsum corpus contingendo.

2. Trina immersio olim erat in præcepto, nunc id fuisse notat Castropalaus de Baptismo, d. 2. quæst. 4. n. 4. addens, in prima ex tribus compleri baptismum, jam tunc forma; Quod si expressè baptizatum non sit per tertiam, tunc enim verò non ex defectu abluendi, sed ex defectu intentionis, (at certe non sit) completum in tertia.

3. Dixi autem (ipsum corpus contingendo) non totum, cum satis sit fieri abluionem in parte hominis parte, sic enim absolute dicitur homo ablutus. Nam propterea, si ex præcepto, si ex Ecclesiae consuetudine solet fieri in capite, vel in pedore, vel in pulvis, vel in brachio, non quod totum, & corpus, sed notabilis ejus pars abluatur.

4. Vnum hic in Castropalao l. c. n. 5. videtur non posse sic enim habet, Probabilius est, requiri, ut baptismum fieri in aliqua parte corporis principis, & in corpore, scilicet, in capite, brachio, pede: solum vero in digito sola manu insufficientem est.

5. Hæc Castropalaus, à quo rogo cur iudicem eundem esse partem principem corporis, non verò manum.

6. Respondere, Lector, posses, Castropalaus hominem de manu, docere nequaquam sufficere abluionem manum (vota illud, solap) at loquentem de pede, sicut, satis sufficere pedem, non addendo, (sine pedem) cum ergo pes apud doctos (ut notat Zaccaria, tract. 1. l. 6. Historia 6. de Scholetto, tit. 4. fol. m. v. vbi de pede præstantissimus Medicus, & Anatomus significet complexum ex femore, tibia, & crure) de, totum id intelligit Castropalaus nomine pedis, quod ablutio sufficiat ad Baptismum, non verò ipsius lumen extremum pedem, qui certe, si solus abluatur, sufficit, sicut nec sufficit si solum abluatur crura, manus.

7. Etaditè ictum contra Castropalaus committere avertente contendisti, amice Lector; Verum ego iudicem rogo, si ad Medicos confugis, cur in eodem Zaccaria loco prorsus à te citato, non legitur etiam manum, sed eundem significare complexum ex brachio, & cubito, extrema manu debuisse ergo saltem, nec obesse, quæteretur Castropalaus, diserte docere, sufficere baptismum abluionem pedis, & manus, ut completum illas alias partes, non verò sufficere, ut solum eas mas complectentium.

8. Si obstitit, manu immixta in vterum, baptizo infantem in parte principali, v. g. in capite, multo magis si baptizet in simili parte jam ab vtero egressa, si scilicet baptizet, quia est vera pueri ablutio, ita Hæc de baptismo, diff. 2. Leander de baptismo, d. 2. q. 11. multo certius.

9. Si puerum v.g. ligatum fune immittas in flumen, & extrahas, valide illum baptizas, prolata forma, quia vere tunc puerum abluis. Non ita si ex se puer in fluvium cadat, nam tunc non abluatur ab alio, hoc est à ministro Baptismi, quam personarum distinctionem esse necessariam dicitur mox.

10. Si eundem immittas in flumen, vel puteum, sed illud inde non extrahas, an valide baptizes, mox §. 4. explicabitur.

11. Si linteam aqua imbibitum exprimas in corpus baptizandi, ut etiam si glaciem, lutumque pari modo exprimas, sufficienter baptizas, prolata forma: quia sic sufficienter abluis. Non ita, sed sub dubio, si solum exprimas, ut dixi §. 1. num. 13. Est alia quædam ablutio sufficiens, de qua per occasionem mox num. 13.

Ablutio cerè non sufficiens.

12. Si abluas vestes tantum baptizandi, vel vterum Matris in quibus sit infans, vel linteam, vel corium, in quibus idem forsitan est involutus, insufficienter pro te nostra abluis, quia sic baptizandum verè non abluis.

13. Quid si velitus quis indusio, linteo, similibusque vestibus, ita in fontem à te immergatur, emergatque, vel ita perfundatur aqua, ut ipsa propter porositatem vestis in corpus ipsum penetret?

Respondeo. Sufficere merito insinuat Castropalaus, dist. num. 6. Bonac. d. 2. de Bapt. quest. 2. part. 3. num. 21. Leand. l. c. quest. 22. & 23. & alij, quia is tunc verè abluatur.

14. Si ex se cadat quis in fontem, non sufficere pro te nostra, jam dixi num. 9.

15. Si te remotè habeas ad ablationem baptizandi, nec item sufficere dicam mox num. 18.

Ablutio dubiè sufficiens.

16. Ex triplici capite? quantum nunc ad nostrum institutum facit, dubia sufficientia esse potest, hoc est, ex parte baptizantis, baptizati, & aquæ.

17. Ex parte baptizantis. Si puerum v. g. submittas sub regulas, vel in alium locum, unde aqua actu dilabitur, formamque adhibeas, sufficienter baptizari puerum putat Bonacina, & Leander; mihi dubia videtur res hæc, quia sic nimis largè, & remotè diceris puerum abluere.

18. Dixi (actu dilabitur) nam si submittas hominem in prædicta, vel similia loca, ex quibus aqua ex notabili intervallo effluxura est, qua deinde fluente tu formam proferas, non dubium baptismum, sed cerèd nullum administraturus mihi videris, quia hoc pacto remotissime te ad illam ablationem habes.

19. Ex parte baptizandi. Si quis in capillis tantum, similes in secundina, qua involutus nascitur, si quis in digito, imo etiam in sola manu, vel solo pede abluatur, dubiè baptizatur, quia incertum est, aliis affirmantibus, denegantibus aliis, an hoc modo dicantur prædicti absolute, & verè ablui.

20. Si quis immergatur in aquam sed non emergat; (id quod evenire possit, quando quis in fine immersionis statim moreretur) inter dubia baptismum connumerat, licet enim probabile putent cum Suar. Vasq. Valent. Conineb. quos sequitur citatus Hurtadus, l. c. diff. 5. non esse necesse, ut immersioni succedat emergio, sicuti nec si Baptismus fiat per asperersionem, necesse est, ut aqua fluat per corpus baptizandi sed sufficit si hæreat, cum sic satis, superque constituitur lotio humana, quemadmodum si manibus madefactis faciem abluas, diceris absolute faciem lavare; licet inquam id probabile putem: tamen, quia non est certum, an simpliciter apponatur vera ablutio, ideo hunc modum inter baptismum dubia recensendum, quo ad praxim iudico, sicuti in simili de linteo, vel digito madefacto dixi §. 1. num. 13. & mox repetam n. 22.

21. Ex parte aquæ. Vna, vel altera aqua gutta, & ex Bonacina, l. c. num. 19. etiam addita tertia, etiam si successivè corpus tangat, dubia ablutio est, cum aliqui negent, aliqui affirmant, sic posse hominem dici absolute ablui.

22. Linteam, vel manum aqua madefacta, & in corpus baptizandi tantummodo impressa, dixi §. 1. num. 13. & nunc in proprio loco repetere debeo dubium esse saltem pro praxi, an constituat ablationem absolute dictam, atque adeo dubium esse & baptismum.

§. IV. De Materia proxima Baptismi quoad licitum usum.

1. Idem hæc proportionaliter dici debet quod §. 2. dictum est. Solum est Castropalaus de Baptism. diff. put. vnc. p. 4. n. 2. adde non esse mortale, si quis in Ecclesia, quæ consuevit baptizare per immersionem, baptizaret per effusionem vel contra, quia hæc censetur levis mutatio.

Occasione prædictorum quæro, an quidam qui, ut infantem jamjam moriturum baptizaret, illum aqua suffocavit, in irregularitatem inciderit?

2. Curiosam mihi proposuit quidam difficultatem ex illo casu ortam, qui ætate Panormitani contigit, & de quo pluribus disputaverunt tunc Sapientes.

Casus ille fuit hujusmodi: Quidam deferens infantem baptizandum in remotam Ecclesiam, advertit eum morti esse proximum, cum ergo aqua careret, & in puteum forte obvium incideret, infantem in illum projecit, verba formæ legitime pronuntians.

Quare quæsitum. Primò fuit, an infans, si vivus ad aquas pervenit, titè fuerit baptizatus? Fuisse, putavit Panormitanus, & plures Canonistæ, sed nequaquam fuisse multi ex Theologis docuerunt. Præcipua vitiorumque ratio fuit, quia Canonistæ tenebant, ad baptismum, non oportere, necessario immersioni succedere emersionem, oportere tenebant Theologi. Omnes tamen consenserunt; si forte puer ille vivus extractus fuisset, debuisset sub conditione iterum baptizari. Vtraque sententia fuit probabilis, & illam quidem Canonistarum hodie communem jam esse Suar. Vasq. Coninch. qui eos citat sequiturque; quest. 66. art. 7. dub. p. quibus adde Castrop. de bapt. d. unica, p. 4. n. 10. citantes Valentiam, Layman, Bonacinam, aliosque inter recentiores Theologos invenies, qui favent his quæ diximus §. præcedente, num. 20. nec tamen nego, opinionem illorum Theologorum à recentioribus aliquibus, ut à Tolero, aliisque apud Castrop. loc. cit. etiam nunc admitti.

3. Quæsitum fuit Secundò. An licitè id fieri, & sine peccato poruerit? Responsumque ab omnibus est, illicitè; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: occidere autem innocentem, malum est intrinsecè, nam propter non ab similem rationem, non licet secare vterum matris animam agentis, ad finem baptizandi infantem ibi existentem.

4. Quæsitum Tertiò à recentioribus ex hac occasione subinde fuit. An, quando baptizandus ita esset infirmus, ut iudicaretur mors ipsi fore acceleranda ab aqua ad baptismum necessaria, An inquam tunc licitè baptizari posset, Responditque Coninch. q. 66. art. 7. dub. p. Hurt. d. 1. de baptism. diff. 5. Diana p. 5. Tr. 3. res. 8. Pasqua. decis. 421. alique, casum fore moraliter impossibilem, quia modica aqua, præsertim si admoveatur calida, non videtur, posse tantum detrimentum afferre. Addit tamen admissio casu, licitè baptizari, quia eiusmodi periculum ex modica illa aqua, præsertim, ut diximus, calida proveniens, est tam rærum, paruum, atque incertum, ut non debeat venire in considerationem humanam.

5. Hæc olim quærita sunt; nunc vero ea proponitur difficultas. An ille, qui prædictum infantem projecit in puteum inciderit in irregularitatem & per hanc occasionem, idem Secundò quæritur de illo, qui baptizat infirmum.

firmum in eo raro casu, quo ex sola ablutione baptismi moriatur? cuius modo *num. 4.* meminimus.

6. Respondeo ad Primum, eum, qui infantem projicit in puteum incurrisse irregularitatem ex delicto, quia (ut nunc suppono) peccavit occidendo innocentem. Dico, ut nunc suppono, nam si bona fide facit, & ex bona conscientia, quamvis erronea, non peccavit, unde irregularitatem non contraxit, quia irregularitas ex delicto, sine delicto non incurritur, ut infra late suo dicitur loco.

7. Respondeo ad Secundum; eum, qui infirmum baptizat in eo raro casu, non incidere in irregularitatem. Acceleratio enim (sunt verba Hurtad. l. c.) illa mortis hominis alias morituri, cui ratione dictæ asperitionis est ponitur, adeo exigua, & insensibilis est, & fit modo ita humano, ut ob salutem æternam non sit contra rationem, ac proinde sic baptizans non manet irregularis, quamvis re ipsa sequatur dicta acceleratio. Hæc Hurtadus.

8. Vides differentiam utriusque casus? In priore is, qui projicit infantem moribundum in puteum, infantem occidit, dum projicit, in posteriore vero infirmum ablundo, nequaquam occidit, quia ea parva ablutio non est causa ex mortis, sicuti est dicta projectio.

9. Faver nostræ & Hurtadi sententiæ Sotus, in 14 d. 5. q. 3. & Zambranus de casibus occur. tempore mortis, dub. 12. n. 16. qui dicunt, baptizantem non incurrere irregularitatem, quando est necessitas aliquem baptizandi, & mors accedit propter actionem baptizantis, sed sine illius culpa, ac per accidens, & inopinato.

§. V. De forma Baptismi.

1. Ad essentiam formæ baptismi habendam, tria distincte explicari omnino debent. Primò, Actio exterior, seu actus ipse baptizandi. Secundò, Unitas Dei. Tertio, personarum divinarum Trinitas, quæ certè tria satis bene explicantur in communi, & consueta forma Latinorum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et in formæ Græcorum, quam mox ponam *num. 15.*

2. Illud (in nomine) aliqui dicunt significare idem, quod in invocatione, alij in fide, alij in virtute, id est in autoritate, & potestate: id quod, cum major explicatio ad Theologos, ut S. Thom. 3. p. q. 66. art. 5. ad 6. aliisque pertineat, innuisse sufficiat.

3. Et quidem, quoad valorem, in quacunque lingua profecti ejusmodi formam posse, diximus superius univèrsaliter, lib. 1. de Sacrament. in genere, cap. 1. initio. Quoad licitum verò usum, Latinum vti forma Græca, Græcum Latina, esse mortale, docet Hurtadus loc. cit. diff. 7. negat tamen Valentia apud eundem, quia hæc censetur mutatio accidentaliter, & levis momenti, quod certè probabile est.

4. Iam vero, quia difficile est aliquando cognoscere an, & quando verba æquivalentia, vel mutata, vel addita, vel corruptè prolata, ejusmodi sit ut formam mutant essentialiter, vel accidentaliter, atque adeo ut certo, vel non certo, vel etiam sub dubio sufficiant ad baptismi valorem, idè breviter hic suis sub classibus ea collecta subdam: quamvis circa idem aliqua docuerim, cum de forma Sacramentorum in univèrsum disservi, lib. 1. de Sac. in gener. c. 2. §. 3. quæ sanè erunt omnino recolenda.

Verba certa sufficientia ad formam Baptismi.

5. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Nota, illud Ego, & illud Amen, non esse de essentia formæ. Immo, si citra contemptum omittantur, non peccari mortaliter, quia res est levis: ut habes apud Hurtadum de bapt. d. 1. diff. 7. vide etiam Leand. de bapt. d. 3. à q. 2. aliisque.

6. Ego te baptizo in nomine Patris; Dei Filii: vel Christi, Dei Filii: & Spiritus sancti.

7. Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Spiritus sancti. Vel quod idem videtur in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti.

Ratio huius sufficientia est, quia sic ostenditur personarum, non vero pluralitas. Dixerunt, Ius Dicastillus, Henriquez, Corinch, Trallench, Bona, na p. 2. tr. 17. ref. 15. Licet invalidam esse hanc formam vel saltem sub conditione rependendam baptismi hanc formam collatum, dicant non pater, nisi Summa Sexaphica, Gesualdus, Medalla Theologus, & Bonacina apud Dianam l. c. Sed ego sequor Bona, priore loco adductos. Et nihilominus propter addicenda sunt §. 2. num. 2. rectè sub conditione repeteretur Baptisma.

8. Ego te baptizo nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii Sapientis, & Spiritus sancti boni Paracliti.

Nam illud in, de essentia non esse puto cum Hurtad. de Bapt. diff. 7. & multis aliis contra alios pudentes de essentia.

9. Ego te baptizo virtute Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ita Hurtadus ibid. contra Toletum aliisque quod Hurtadum negantes.

10. Ego te baptizo in nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii Sapientis, & Spiritus sancti boni Paracliti.

11. Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Nam illud (&) non esse de essentia puto cum Dian. l. c. & G. Hurtad. l. c. & aliis contra nonnullos apud Hurtadum ibid.

12. Baptizo te, vel baptizo hunc in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

13. Ego te abluo, vel lavo in nomine, &c.

14. Ego Sacerdos: ego Petrus te baptizo in nomine, &c.

15. Baptizetur servus Christi, vel baptizetur, vel baptizetur hic in nomine Patris, &c.

Adverte, Modum hunc esse Indicativum, ut videtur enunciante, vel esse Imperativum, ut nonnulli apud Hurtad. l. c. diff. 8. Theologi, eos proferre putant, approbant. At vero nunquam deprecative, ut nonnulli eam num. 28.

Adverte item, Valentiam, adductum ab Hurtado de Bapt. diff. 7. putare, solum venialiter peccari, si Latini utatur forma Græcorum, vel Græci forma Latinorum, sed ipsam Hurtadum putare, peccari mortaliter. Nec firum: quia hic, ejusmodi mutationem magis, ut scio esse momenti, at levioris illa.

16. Ego in nomine Patris, & Filii, & S. S. baptizo te, vel in nomine Patris baptizato te, & Filii, & S. S.

17. Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filii, Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti.

18. Nos auctoritatis gratia, te baptizamus in nomine Patris, Filii, & S. S.

Illud enim Nos in hoc loquendi modo idem significat, quæ Ego.

19. Ego baptizo vos, vel Dominationem vestram, Altitudinem, Excellentiam vestram in nomine, &c.

Intelligitur enim ex usu loquendi persona ipsa, ut apud Leand.

20. Ego baptizo servum Christi Ducem talium, in nomine, &c.

21. Ego baptizo Petrum in nomine, &c.

Nota in proximis tribus formulis, & similibus, non potest committi peccatum, nisi veniale, quia in his mutatur quæ sunt de consuetudine Ecclesiæ, si non videtur gravi.

22. Ego baptizo vos (si sunt multi in necessitate baptismi, ut in repentino naufragio) in nomine Patris, Filii, & S. S.

Caput I. §. V.

Ratio sufficientia hujus forma supposita sufficienti ablutione, est quia illam vos, etiam ex communi more loquendi significat, et c. ex S. Th. 3. p. 2. q. 66. art. 5. ad 4. Prædicta habes sparsim ex Doctribus citatis, ubi agunt de Baptismo.

Verba certe non sufficientia ad formam Baptismi.

23. Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Nam sic significatur pluralitas Deorum.

24. Ego te baptizo in nomine Christi. Amen.

Legit Bellarminum, l. 1. de bapt. cap. 3. qui probat, Apostolos nunquam baptizasse sub hac forma, in nomine Christi. Quod si Aitor, cap. 2. & alibi sic dicitur, sensus est, Apostolos baptizasse in virtute, & fide, & auctoritate Christi, id est Baptismo instituto à Christo ad differentiam Baptismi Joannis Baptiste. Vel sensus est, apponi consuevisse nomen Christi Domini in vera forma, in hunc modum. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Domini nostri IESU Christi, & Spiritus sancti. Prior interpretatio asseritur à Sancto Basilio, Theophylacto, Damasceno: posterior à S. Cypriano, & Origene.

Sic S. Thom. 1. part. 6. ad 1. asserere, Apostolos ex peculiari concessione, sic baptizasse ut nomen Christi redderetur dulce, & amabile: Sed profecto magis animo sedent explicationes allatae.

In nomine Dei. Amen.

In nomine Trinitatis. Amen.

In nomine trium Divinarum personarum. Amen.

In nomine Omnipotentis, Sapientis, & Boni.

In nomine Genitoris, & imaginis ejus, seu splendoris gloriæ ejus, & Domini, seu Flaminis.

In nomine Patris Maioris, & Filii Minoris, & Spiritus sancti.

In nomine Dei, & Sanctæ Crucis.

25. Ego te baptizo. Incidi in quoddam manuscriptum affirmans: Bedam in c. 10. Aitorum, & S. Bernardum Epist. 3. 4. dixisse, hanc postremam esse formulam sufficientem. Sed nihil minus in locis, qui ab ipso citantur.

Id tamen diserte S. Bernardus dicit in Epist. 340. Verum ejus sententiam sequi non possum, & credere ipsam hac nostra ætate, quando res diligentius sit disputata nobis consensurum. Id quod Sanctus Doctor innuit ipso initio prædictæ Epistolæ, sic enim præmittit, Breviter vobis de proposita questione respondemus, sine præiudicio tamen sumus sapientis.

In nomine Patris, & Filii, & gratiæ Spiritus sancti

Hanc omnino reiecit, Quintanadueñas de Baptismo, sing. 5. n. 5.

26. Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Virginis, & Sanctorum. Amen.

Quid si dicas. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac Beatissimæ Virginis, & Sanctorum.

Respondet, distinguendum esse. Si enim intendas baptizare, vel in nomine Virginis, & Sanctorum, vel in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti indivisibiliter cum Virgine, nullus est Baptismus. Si vero solum intendas implere Virginis, & Sanctorum auxilium, validus erit, quia sic non mutatur essentialiter forma, sicuti contra, mutatur ex intentione precedente. Ita Vasq. Suar. alii. apud Lean. de Baptismo, d. 3. q. 36.

27. Baptizatur à Christo, vel à Deo talis servus Christi. Amen.

28. Baptizetur deprecative servus talis Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Quando enim sic deprecative dicitur, puta modo Optativo, vel etiam Subiunctivo, non adhibetur forma præscripta à Christo Domino, qui dixit Apostolis Baptizantes eos, id est, vos baptizate, quasi autoritative, quamvis, ut Ministri non vero, ut causæ principales.

29. Ego baptizo in te nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Quia in ejusmodi transpositione mutatur forma essentialiter.

30. Baptiza petrum servum Christi.

Nam sic, ne implicite quidem subintelligitur legitimus Minister baptizans, qui idem debet esse, qui profert verba, & qui abluat.

31. Ego intendo te baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Debet enim explicari actus baptizandi, non vero sola baptizandi intentio, ut rectè notat Sayrus l. 1. de Sacram. c. 4. artic. 4.

32. Ego me baptizo.

Debet enim esse persona distincta ea, qua baptizat, ab ea qua baptizatur.

33. Denique, quando duo simul formam pronuntiant & simul abluunt, quid dicendum?

Respondeo. Si unus independenter ab alio, hæc duo ipse faciat, valide baptizat, quia sic adfunt omnia essentialia Sacramenti, ita tamen, ut solus ille verè baptizet, qui prius absolvit requisita, atque adeo qui posterior est nihil agat.

34. Quod si, posita dicta independentia simul absolvant, simul baptizabunt, ut puto, sicut in Missa Ordinationis omnes Sacerdotes consecrant, si simul consecrationis verba perficiant, & nihilominus hunc, ita baptizatum, esse sub conditione rebaptizandum omnino censet.

35. Si vero unus dependenter ab alio baptizare intendat, erit Baptismus invalidus, quia sic falsa est forma, cum neuter per se auctoritative baptizet. Vide G. Hurtad. d. 2. de bapt. diff. 5.

Verba dubie sufficientia ad formam Baptismi.

36. Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis seu Spiritantis ab utroque.

37. Ego te baptizo in nomine Vngentis, Vncti, & quo Vnctus est.

Hanc formulam numerasset cum insufficientibus, sed quia ea posset colligi ex dictis à Beda in c. 10. Aitorum, & Ambrosio, lib. 1. de Spiritu sancto, hic, eorum reverentia inseratur.

38. In nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti.

39. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus, Amen.

Hanc formam certo sufficientem indicat G. Hurtad. à prima de bapt. diff. 10. citans Vasq. mihi dubia est, quia non satis explicite videtur, significari Spiritus sanctus: nam & Angelus etiam Spiritus est.

40. In nomine Patris, & Verbi, & Spiritus sancti. Hanc sufficere, putat Bonacina de bapt. de prima q. 2. p. 4. n. 13. nequaquam sufficere ait, Fillucius, apud Bonacinam ibid. Si, ergo dubia.

41. Cum nomine Patris, cum nomine Filii, cum nomine Spiritus sancti.

Quamvis hanc formam sufficere putent aliqui qui apud Dian. tract. 17. res. 15. quia consentiunt illud Cum non extrahere formam in diversum significationem, tamen quia alii id negant, iudicantes, sic non exprimi, id quod exprimitur per illud In. Ideo securius adnumeretur cum formis incertis. Idem ergo erit si dicas sub nomine Patris, & c. vel Per nomen Patris, & c.

42. Cum Patre, Filio, & Spiritu sancto.

In

In Deo Patre, vel in essentia Patris, vel in uno Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto. In Patre Filio, & Spiritu sancto.

In his proximis tribus formulis ambigo de Baptismo, quia per illas non videtur significari id totum, quod significatur per illud In nomine, ita Valentia, Coninch, apud G. Hurtadum loc. cit. diff. 7. eos citantem, sed non sequentem.

33. Ego te baptizo.

In essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti. In uno Deo Patre, & Spiritu sancto, vel in unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vel per unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

44. Has approbat Vasq. & Laym. quos Castrop. citat, sequiturque de bapt. d. p. 5. n. 17. sed non acquiesco propter rationem proxime adductam. Sicut non acquiescit Valentia, & Coninch, adducti, sed non excepti à G. Hurtado de bapt. diff. 7. vers. Ex quibus.

45. In Virtute, Autoritate, & Fide Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Forma hac merito incerta est Valentia dub. 4. quasi. 1. p. 3. quia ejusmodi voces minus videntur significare, quam illud, In nomine.

46. In nomine Spiritus sancti, Filii, & Patris. Hanc cum Castrop. l. c. ver. Quando autem; ideo incertam iudico, quia, non significat Spiritum sanctum, prout ipse est procedens, sed potius ut principium.

47. In nomine Filii, Patris, & Spiritus sancti. Propter similem rationem modo dictam, ambigo item de hac forma, quia non significat Patrem, ut Originem, & Principium sicuti re ipsa est.

48. In nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti. Hanc, ut sufficientem asserti Leander de bapt. d. 3. q. 1. 3. quia putat sic, non mutari significationem formae. Et quidè Græci qui ablative carent, In nomen proferunt: licet in Syriaco sit in ablativo, ut notat Estius in d. 3. 6. Sed profecto non video, hanc esse certo sufficientem, non enim est eadem ratio in Græco, atq; in Latino. Illud enim eis non oportet, Græce prolatam eandem haberi significationem quam habet Latinum illud, In Nomine. At hoc Latinum In nomen non videtur certo habere eandem significationem quam habet illud in Nomine, seu quam habet Græcum, eis non oportet.

49. Ego te Tingo, Intingo, Mergo, Immergo, Aspergo, Aquam infundo, Balneo, Coniubo in aquam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Valde mihi incerta sunt hæc formula, quia per has non satis significatur ipsa ablutionis actio, & per postremas potius significatur ablutionis causa quam Ablutio.

50. Baptizat, vel Baptizet, imperativè te Deus, vel Christus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vel Baptizaris, seu baptizetis, item imperativè, à Deo vel à Christo, in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.

Has duas formulas ratas, ac legitimas esse pronuntiat Suarez: sed negant Vasq. apud Castropalaum citatum, qui tamen Suarii sententiam amplectitur, nescio an merito, quia sic non explicatur ipsa dictio Ministris.

Nona difficultas de collatione cuiusdam Baptismi, ex patrio vocabulo apud Siculos orta.

51. Quando forte confertur Baptismus Infanti, urgente mortis periculo in parturientis ædibus, solet in Sicilia vernacula lingua id sic explicari. La Raccogliatrice, o vero la Mammana ingravatto il Fanciullo. Questo Fanciullo fu ingravatto in Casa, &c. Neque unquam in alia occasione utimur hac voce Ingravattare, solum

enim ea utimur ad significandum baptismum in periculo circumstantis, prædictoque modo collatum.

Quædam ergo Obsterix in ea necessitate baptismi, hæc forma usa, per infanciam, et del Figlio, e della Madre, Amen Convaluit Infans, deque hac non incertior factus Parochus, dubitavit, an validus esset Baptismus, multis ex Sacerdotibus Parochie consentientibus tamen omnibus debere Infantem conditione iterum ritè baptizari, quod certe fidem. Porro si ad te fuisset ejusmodi quaestio delata, in unam Sacrorum sententiam suffragium, rogavisti?

52. Ego profecto de hac te interrogatus, sic respondisti. Si illud Ingravattare idem esset apud Siculos, quod abluere, vel ablui, certa fuisset, & rata illa forma baptismi, puta idiomate patrio prolata. At non ita fecit. Nam Ingravattare, quantum ego, qui Siculus sum, agnosce ex nostrate more loquendi possum, legitime constatum totius illius actionis baptizandi in rebus mortisque discrimine, privatim Domi, à non Patrie sine consuetis Ecclesie cæremoniis, &c. Non significat ipsum actum abluendi, sed potius ad quod pertinet illa necessitate factum est. Profus ac dictum. Fuit hic infans Christo Domino addictus, sine solennitatibus Ecclesie. Sicuti ergo, qui sic baptizaret, exponebat actionem quam facit, te Christo addico, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, irritum faceret baptismum, quia non explicaret actum abluendi, quæritur etè explicari omnino debere, nec solum implicare significari dicimus n. 1. Ita in casu nostro.

53. Dices. At P. Franciscus Scorsus utriusque Lingue Græcæ, & Hebræicæ peritissimus, in suo Latino Choro no putat Ingravattare, deduci à verbo Græco, quod quod significat Lavare, à quo etiam verbo, dicitur præpositione, deducitur βαπτίζω, quod ritè in huius sacramenti collatione omnes usurpamus. Si igitur Ingravattare significat Lavare, aptissimum verbum est pro forma baptismi.

Respondeo. Tamen si concederemus ejusmodi opinionem, quam certe ipse Pater Scorsus prudenter probabiliter dumtaxat approbat, quæque ex suo periculo nullo ducit, sed certe, me id ab ipso sciscitante, promittit, demque me rogante, in suo Latino scriptis, Tamen hanc ethimologiam concederemus, nihilominus ex antiquissima usurpatione loquendi Siculorum, non amplius ipsum abluendi actum, sed aggregatum illi modo explicatum, hac ætate significat nostram, nihil præterea.

§. VI. Regula tres, quibus docemur, quando sub conditione reiterandus sit Baptismus.

1. Prima Regula. Quoties collatus est Baptismus aliquo ex prædictis modis dubie sufficienter, erit necessariò sub conditione repetendus. Quod si collatus fuerit, aliquo ex modis certò non sufficienter, erit multo magis repetendus, sed condicio apponenda non erit.

2. Secunda Regula. Quoties probabile opinio habes, siue ex iure, siue ex facto, te non esse baptizatum, toties licitè poteris sub conditione rebaptizari, siue obligaris. Ratio prioris partis hujus secundæ Regule est, quia iam habes prudentem, & rationabilem causam de carentia tui baptismi. Ratio posterioris est, quia potes sequi opinionem probabilem atque adeo potes iterum iudicare, te esse baptizatum. Ita Hurtadus de bapt. diff. 2. contra Ochagaviam, Lege item De Logo in lib. 1. cap. 33. fusè docentem, quando possis, non tamen obligaris reiterare baptismum.

3. Ex his autem vides, te posse rebaptizari, etiam omnibus illis casibus, in quibus licet nos probabiliter dixerimus sufficientem esse materiam, vel formam

alii tamen probabiliter dixerunt, sufficientem non esse. At, ut obligeris non reiterate hoc Sacramentum puto, debere adesse certitudinem moralem valide iam collari baptisimi, non vero probabilitatem quancumque. Quamvis ejusmodi moralem certitudinem pariant, mox separatim indicabo.

4. Tertia Regula. Quoties certus moraliter es, te esse baptizatum, si forte habeas aliquem levem scrupulum, vel suspicionem de carentia Baptismi, non poteris rebaptizari. Ratio est clara, quia imprudenter ageres. Exempli gratia. Si natus es inter Christianos, rebaptizari non debes, quamvis levem scrupulum habeas, te non esse baptizatum, quia, ut mox dicam, natum esse inter Christianos, facit certitudinem moralem baptisimi, si alia valde urgens causa contra baptismum non adsit.

5. Neque obstat quod apud Quintanad. de Bapt. sing. 8. ex Doctissimi cuiusdam consilio, fuerit iteratum baptismum cuiusdam mulieris, quae, quamvis nata, ac nutrita inter Fideles, tamen ex levissima suspicione timebat de suo Baptismo, sed propter ejusmodi timorem inquietissima vivebat, non obstat inquam, nam post multa ibi à Quintanad. in favorem hujus reiterationis illata, tandem sic concludit. Hæc sunt, quæ vitum doctum hujus Fœminæ Baptismo conditionali annuentem, movere poterunt: At Ego, nisi dubium, aut suspicionem prudentem ex defectu, vel materiæ, vel utriusque applicationis, intentionis, vel Ministri ortam deprehendam, iterationem, hanc consulere non audeam, sed nec eum in presenti casu damnare.

§. VII. Explicatur, quanam sit moralis certitudo de suscepto Baptismo.

1. Effe natum inter Fideles, ut iam modo dixi, affert certitudinem moralem Baptismi. Nam natum inter Hereticos, & ab illis fuisse baptizatum, valde probabile iudicio, posse rebaptizari, imo & debere, quando aliquæ sint circumstantiæ, in quibus suspecta sit sufficientia. Vide quæ dixi lib. 1. cap. 1. §. 2. n. 7.

2. Secundò, unus testis, de quo non sit probabilis suspicio mendacii, satis est, ut non rebaptizeris, si dicat, te certò scire, te esse baptizatum.

3. Tertio, multo magis erit satis fides Baptismi, ex libris Parochi sumpta.

4. Quarto, expositi ad Hospitalia, si schedulam habeant collo, ut solet fieri, appensam, qua significetur eorum baptismus, certitudinem habent moralem, unde non sunt rebaptizandi; nam, si habeant signum nondum tollant baptismi, erunt sine conditione baptizandi: Quid si nullum habeant signum? baptizandos esse sub conditione puto: quia tunc magna est suspicio nondum suscepti baptismi.

5. Scio Quintanad. l. c. sing. 9. censere, omnes Infantes inter Catholicos ubicumque expositos, etiam si habeant scripturam collo appensam, testificantem eorum baptismum, esse sub conditione rebaptizandos. Sed ego ad hæc communiori opinioni, & communi nostrarum Regionum praxi. Concedere nihilominus posse, sed non obligari, idque propter modo dicta §. preced. num. 2. & 3.

6. Is autem Auctor, quia debebat in iis locis, ubi non pauci olim vixerunt Mauri, & Saraceni infideles, quorum scripturis non erat fidendum, ideo universalem illam doctrinam docuisse videtur.

7. Quintò, qui à peritis Obstetricibus, vel Parentibus, propter infantem necessitatem fuit privatim baptizatus, habet sufficientem certitudinem, quare non est rebaptizandus.

8. Ut autem comprehendatur, an sint peritæ, sunt diligenter examinandæ, præsertim in quatuor. Primò, quomodo formam pronuncient. Secundò, quam, & quantam aquam infundant. Tertio, an simul simulatæ morali à nobis libro primo explicata, formam proferant, & abluant. Quarto, quam intentionem habeant. Quare si in ejusmodi examine inveniatur, nihil substantiale defuisse, Pars 111.

non erit, ratione Obstetricum, locus renovandi Baptismi, si secus, erit. Lege quæ dixi univèrsaliter lib. 1. cap. 1. §. 1.

9. Quintanad. loc. cit. sibi similis nimis est facilis in concedenda, & præcipienda hac iteratione illis, qui sunt ab Obstetricibus baptizati, fortasse, quia in ejus Regionibus frequentes erant imperitæ, & fortasse infideles Obstetrices, at in nostris, ubi hoc munus non exercent, nisi approbatæ ab Episcopis, tanta facilitas, vel obligatio non est inducenda.

10. Inquires, hac occasione, peccantne mortaliter dictæ Obstetrices, si nesciant formam, & modum baptizandi?

Respondetur ita cum Navarr. Henriquez, Tol. Reginald. Grand. apud Leandr. de Bapt. d. 4. q. 3. Ratio autem est quia quilibet debet scire, quæ ad suum officium pertinent. Aliqui apud dictum Leandrum, qui hoc peccatum in Obstetricibus non agnoscunt, dicunt, Obstetricis officium non esse, baptizare: Sed non placent, quia Charitas dicat, quemlibet debere juvare proximum ad salutem consequendam, saltem quando commode, & facile potest: At, quæ major facilitas, quam Obstetricem, cui sæpe accidit, posse salvare Infantem, dicere modum baptizandi? Adde, tanto majus fore, earum peccatum, si sint imperitæ, quando cum ea imperitia, si suum non est munus baptizare, baptizent tamen, & infantem in re tam gravi decipiant.

§. VIII. Quid observandum in dicta repetitione Baptismi.

1. Univèrsaliter adverte, quando rebaptizatur adultus sub conditione, debere ipsum si de mortali sit sibi conscius, se disponere per contritionem, vel per attritionem, non autem necessario per Confessionem Sacramentalem, ut nimirum sic obicem gratiæ amoveat, sed insuper adverte, suscepto jam certo Baptismo, eundem ut refert Quintanad. l. c. sing. 16. & 18. debere ea peccata ante hoc certum baptismum, & post illud dubium commissa, aperire Confessario, & sub conditione Sacramentalem absolutionem recipere, ut si forte primus Baptismus fuit verus, fervetur præceptum Christi Domini, quo jubemur omnia mortalia post Baptismum commissa clavibus subicere.

2. Præterea pro praxi dicti Baptismi conditionati, nota sequentia. Primò, illud posse conferri domi, vel in quocumque loco privatum, immo occultum sine solum cum solo. Secundò, posse à quopiam, sed certe perito, etiam si facile possit haberi Sacerdos. Tertio, non esse adhibendum Patrinum, poterit tamen; nec si adhibeatur contrahi cognitionem spirituales. Quarto, non esse necessarias alias Ecclesiæ ceremonias. Ratio omnium horum est, quia solemnitates loci, Ministri &c. sunt institutæ solum pro Baptismo absoluto, non verò, pro conditionato. Ita Quintanadvensas.

3. Scio aliquos, inter quos est Perez de Matrim. d. 29. sec. 3. in Tertio ex his superaddere distinctionem. Dicunt enim, si forte post dictum conditionatum Baptismum, inveniatur primum baptismum fuisse validum, Patrinum baptismi conditionati non esse verum Patrinum, nec cognitionem contrahere, si tamen illud inveniatur fuisse invalidum, tunc Patrinum dicti baptismi conditionati esse verum Patrinum, quia iam is suscepit baptizandum in vero baptismo. Scio inquam id: Verum ego nunquam fieri verum Patrinum in Baptismo conditionato sustineo cum Quintanadvensas, quia hæc Patrini solemnitas, ut & aliæ non sunt institutæ, nisi, ut dictum est, pro Baptismo absoluto. Quare, nec inter baptizantem, & baptizatum oritur tunc cognationem, puto cum Quintanadvensas d. singul. 18. num. 2. licet orti putet ex Dicastillo Diana part. 11. Tractat. 8. resol. 57.